



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.
Emanvelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è
Societate Jesu**

Giuglaris, Luigi

Francofvrti, 1684

2 Seth Adami Filius. Similes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38349

Hic ut nemo vivus securus vivat :
 Ille unum occidit, hic quantos:
 Quoties quisq; ferro cadet: in hunc clamabo;
Ferreus erat, qui ferrum reperit.
 At malo tuo malam artem exerces Tubal.
 Ferrum cudis, ferro cades:
 Parricidam fecisti Patrem;
 Cæderis à Patre.

S E T H

A D A M I F I L I U S .

S I M I L E S .

Hactenus prava germina.
 Nunc sacra, & diuturna,
 Mala tempora melioribus pensantur.
 Quicquid Adamo sustulit Cain, Adamus orbireponit.
 Ea geminum cum Abele Sethum.
 Idem, & alius ab eo est.
 Eadem frons, Religio eadem, idem Animus:
 Junge nomina, totos junxeris.
 Itaque iero partu fœcunda Mater,
 Duos peperit in uno, vel bis peperit eundem.
 Non perit Abelis innocentia, sed defaultavit in Fratrem,
 Diceres tam grandem animam,
 Non uno contentam corpore, gemina implevisse
 Aut geminandæ Parentum voluptati,
 Bis natum esse unum.
 Nec in uno quidem stabit.
 Exhibet generis in victi linea nobilis
 Et Patria virtus semel agitata
 Agét se in succidaneos Heroas.
 Felicioribus illi aratris beabunt:
 Gregibus, ac Reges leges ponent.
 Ingenuas artes ingenio extudent.
 Tempa Deo, Templis Vates vovebunt.
 Decidit passim execranda fraticidæ propagō,
 Et Abelis nitorem
 Irrupta Sethi Gentilitas diu retinebit:

Metso-

Merfoque Orbe, sola enatabit,
 O quæstuosam Caini invidiam !
 Dum virgunculum perdit, fœcundum facit:
 Et unum metendo, innumerabiles ferit.
 Sic profuturus semper noceat livor.
 Timebit orcus feracis exemplum vulncis.
 Cum Dei filium occidet,
 Tertium Abelem ;
 Fertili sanguinis elemento, innumerabiles gignet.

E N O S
 SETHI FILIUS,
 ENCOMIUM.

Enossi verò laudibus nil potius addiderim,
 Quam quod ignotum Dei Nomen
 Sub mortales aures primus attulit.
 Nil majus dici potuit, nec brevius.
 Interpretete nimirum, ac sequestre vocabulo,
 Cum Emyreo commercia nexuit.
 Ut tam facile sit Deum rogare, quam vocare.
 Tempestivo igitur officio,
 Postquam homines alloqui desit Deus,
 Hic Homines docuit cum Deo loqui.
 Nec levius arrogatum Numini decus.
 Nam cum ignotus Deus omnia nosceret ;
 Magna spargebat munera,
 Sed vel ingrata, vel ingratas.
 Suspectum enim beneficium est ab ignoto.
 Primus itaque Nomenclator Enos,
 Divinis actis nomen inscripsit :
 Et Hominum authorem Hominibus authoravit.
 Excepere dulcissimum Nomen Cœlitum Chori :
 Et Sanctissimis partum labris,
 Inter aurium cunabula versatur.
 Artisit amico vocabulo placidius Cœlum :
 Et labentes soni reliquias
 Lambentes Auræ collegerunt.
 Icere in plausis canoræ volucres :